Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sua dignos amicicia iudicat. Amicus enim interiora cubiculi ingreditur, dum famulus foris operitur. Iepte uada iordanis cum galaaditis prius occupat, quia a christo mysticum salutare baptismi uere fidei confessione circumdat. Ibi xl. duo milia trucidat, dum in uere fidei confessione omnem hereticorum peruersitatem condempnat. Spica enim est fides catholica, quam heretici eadem non explicant littera, dum in ueteris uel noui testamenti pagina uere fidei confessioni locuntur contraria. Ieu ergo quemquam ex eis non relinquit, quia ordo doctorum sancte ecclesie nullum hereticorum uiuere permittit, cum eos omnes gladio spiritus, quod est uerbum dei, configit.

Cumque abisset inde, inuenit SEQUITUR. Ionadab filium rechab in occursum sibi, et benedixit ei, et ait ad eum. Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait ionadab. Est. Si est inquit, da manum tuam. Qui dedit manum suam. At ille leuauit eum ad se in currum, dixitque ad eum. Ueni mecum et uide zelum meum pro domino. Et impositum currui suo duxit in samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de achab in samaria usque ad unum, iuxta uerbum domini, quod locutus est per HELIAM.

IEV inde abiit, cum ordo doctorum post expugnationem hereticorum in catholice quietis sinum se recipit. Ionadab filius rechab in occursum ei uenit, cum multitudo fidelium labori doctorum sue subiectionis deuotionem rependit. Ionadab enim dominus spontaneus dicitur, per quem fidelium populus exprimitur, qui spontanea deuotione creatori suo obsequitur. Ionadab filius rechab scribitur, qui quadriga dicitur, quia spontanea fidelium deuotio ex predicationis beneficio nascitur. Ieu ionadab benedicit, quia ordo doctorum populum fidelium exemplo, uerbo et oratione eterna benedictione dignum efficit. Ieu ait ad eum, cum ordo doctorum fidem et dilectionem examinat subditorum. Numquid ait est cor tuum rectum cum corde meo? Sicut corde corpus uiuificatur, ita bonis doctoribus uita fidelium uegetatur. Ut ergo boni prelati suis subditis docendo et exhortando uitam conferre ualeant, necesse est ut sue uite dominum timendo et diligendo firmiter inhereant. Ieu ergo ionadab interrogat, si rectum erga se cor habeat, quia ordo doctorum examinat, si pura erga se subditorum dilectio ferueat, cum eius circa christum sincera dilectio ardeat. Cor enim rectum est cor dilectione dei et proximi sincerum. Unde psalmista dicit. Quam bonus israel deus his qui recto sunt corde. Ionadab cor suum rectum esse respondet, cum populus fidelium doctoribus suis uere dilectionis affectum se habere uocis confessione perhibet. Si est inquit da manum tuam. Scilicet uocis confessioni iunge operis instantiam, quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Dat ille manum suam, quia exhortatione doctorum populus fidelium perfectam assequitur uitam. Ille eum ad se leuat in currum, dum fidelis prelatus fideli subdito in actiua et contemplatiua uita perfecto sibi diuinitus commissum predicationis committit uerbum. Dicit ad eum in perfectionis exemplum sue dilectionis illi proponens magisterium. Ueni mecum, mee sollicitudinis ac diligentie imitando propositum. Uide zelum meum pro domino, quia nullum deo tale offertur sacrificium, quale est zelus animarum. Unde psalmista dicit. Zelus domus tue comedit me. Et iterum. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt uerba tua inimici mei. Ieu ionadab currui suo imponit, dum fidelis doctor fidelem subditum predicationis sue sollicitudini adiungit. In samariam eum ducit, dum in exemplum ecclesie eum perducit. Ieu omnes qui reliqui sunt de achab in samaria percutit, cum ordo doctorum in sancta ecclesia iudaice perfidie emulatores gladio uerbi dei configit. Iudaice quippe perfidie fiunt emulatores, speciem quidem pietatis habentes, uirtutem autem eius abnegantes. Usque ad unum percutit, dum unum ideoque eos omnes confessione et cordis intentione per christi uirtutem agere instituit. Iuxta uerbum domini, iuxta uerbum euangelii quod per heliam est locutus, quod per christum est testificatus.

Quid autem inquit uocatis me domine domine, et non facitis que dico? SEQUITUR.